



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 46. Congregatio Clericorum sancti Majoli, seu Somaschoru.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A. C. 1568

quæ illo Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octavo in primam Adventus Dominicam inciderat, primum restaurati Carmeli Monasterium Durueli erigebatur, cum Divi Petri Cathedralam moderaretur Pius V. summus Pontifex, qui horum consilium approbat. Postquam ergo novæ hæc Carmelitarum Discalceatorum soboles adveniant, Sanctus Joannes illarum Caput totam sequentem noctem in oratione cum eis absumebat, altera vero die, quæ erat Dominica, sacro solemniter peracto coram eis publicam severioris disciplinæ professionem emittebat, ac Deo tanquam unico suorum votorum scopi, necnon Beatissimæ Virgini perpetue reformati Carmeli Protectrici, necnon Carmelitarum Generali tanquam suo Superiori pollicebatur, quod veterem Ordinis Regulam ad literam observare velit, quo etiam tempore nomen assumpsit Joannis a Cruce.

§. XLVI.

Congregatio Clericorum Sancti Majoroli, seu Somaschorum.

Spond. ann.
hoc ann. n.
18.
Arg. Turtur
vit. Paul. E.
mil.

Die sexta Decembris Pius V. Constitutionem edidit pro Congregatione, quæ circa Annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum in Orphanorum subsidium ab Hieronymo

ronymo Æmiliano Patritio Veneto in-
 stituta, atque Anno reparatæ salutis
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 a Paulo III. approbata fuit: porro hu-
 jus Congregationis Religiosi primo ap-
 pellabantur Somaschi, eoquod eorum
 Parens variis ejusmodi Monasteriis tam
 Venetiis, Bresciæ, Bergami, quam
 alibi erectis tandem urbem Somascham,
 quæ Bergamum inter, & Mediolanum
 sita est, sibi elegisset, ut ibidem velut
 Seminarium erigeret illorum, qui hoc
 institutum amplecti desiderarent. Po-
 stea vocabantur etiam Clerici Regula-
 res Sancti Majoli, eoquod Divus Caro-
 lus Borromæus eis Papiæ quamdam
 Ecclesiam Deo sub invocatione hujus
 Sancti sacratam concessisset unacum
 celebri Collegio, cujus curam ipsis de-
 mandabat. Ceterum quamvis primi
 Sodales hujus Æmiliani nonnisi Laici
 nec ullo religionis voto obstricti essent,
 nihilominus Anno post Christum natum
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 sexto Theatinis aggregari petebant, quod
 etiam eorum precibus datum: cum ta-
 men ob instituti diversitatem commu-
 nis vitæ societate haud frui possent,
 Paulus IV. eos a Theatinis Anno re-
 paratæ Salutis millesimo quingentesimo
 quinquagesimo quinto separabat, Pius
 vero quartus eorum institutum Anno

Sæcul. XVI.
 A.C. 1568.

Heliot hist.
 des ord. mo-
 nast. t. 4.
 c. 33.

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio confirmabat, quin eis adhuc permetteret, ut se solemni votorum sponsione obstringerent, nam hanc facultatem primum hoc anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo octavo a Pio V. impetrarunt, ab eodem jussi, ut tria solemnia vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emitterent, sub regula S. Augustini, & in habitu clericali victuri, unde Clericorum regularium S. Majoli nuncupatio eis attribuebatur.

§. XLVII.

*Sancti Stanislai Kostkæ Jesuitæ
Novitii obitus.*

*P. Orleans
vie de ce
Saint Bail-
let 13. Nov.*

Hoc anno die decima quinta Augusti Patres Jesuitæ ex suis Novitiis Stanislauum Kostkam amiserunt. Hic cujusdam Poloni Senatoris filius in Rokoviensi arce die vigesima prima Octobris Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo in inferiori Polonia natus erat, cum vero decimum septimum ætatis annum, novem menses, atque octodecim dies numeraret, adhuc Novitius mortalitatem exiit. Obluctabantur vehementer illius parentes, ne Jesuitarum Societatem ingrederetur, hinc Stanislaus ad Cardinalis Commendonum, qui in Cæsaris